

urbis episcopi, Laval appellati, institutionem opere impensisque adiuvit ; in eoque primus Theologiae præceptor delectus est. Exinde Romam reverti censuit, binosque annos studio iuris canonici concessit ; in quo merita laurea redimitus iterum ad propria festinus appulit, mentisque lumine, in ecclesiastice iuventutis bonum, scientiam iuris repandit.

Rector primum Seminarii et Universitatis, in qua amplissima dignitate, eius in moderandis adolescentibus mirifica patuit sollertia. Vicarius inde Dioecesseeos Quebecensis, fulgidus prudentiae æquanimisque iudicij notas exhibuit, ita ut iam omnibus pateret, ipsum non edocendi solum sed gubernandi possidere virtutem ; ideo a Pio IX. Pont. Max. omnium favore et lætitia, VII Kalend. Febr. MDCCCLXXI, Quebeci antistes renuntiatus est.

Eum, duituris pro Ecclesia laboribus scite strenue, sancte que functum, magnam nominis celebritatem adeptum, Leo XIII. Pont. Max., æquissimus meritorum iudex, inter Patres Cardinales, VII Id. lun. MDCCCLXXXVI, omnium ac præcipue Canadensis ; opuli plausibus, adlegit.

Post longum facinoribusque illustribus fœcundum episcopatum, Virum Eminentissimum, iam senecta, sed magis diutina ægritudine pressum, Deus Opt. Max. ad præmia cœli, hæc enim spe ducimus, Idibus nondum exacti mensis Aprilis, advocabit.

Orate pro Eo

Ecclesiæ Quebecensi sors contigit viduitatem non pati ; nam Emo Episcopo vita functo successit illius Coadiutor Aloysius NAZARIUS BEGIN, Vir zelo, pietate et scientia præclarissimns, sub cuius moderamine Ecclesia Quebecensis florere non desinet. Eximio huic Pastori addere maiores vires dignetur Deus, ut altissimum suum munus, in longam ætatem, prognaviter exercere valeat.

LA DIREZIONE E COLLABORAZIONE